



gna po lórum.

DIE V. OCTOBRIS.

B. RAYMUNDI A CAPUA CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátum Raymúndum, Confessórem tuum, insígnem perfectionis evangélicæ magístrum, et apostólicæ auctoritatis fidélem assertórem esse voluísti : concéde propítius ut ejus exémplo vivéntes in terris & cum ipso coronári mereámur in cælis : Per.

In j. Vesperis Memoria Ss. Placidi et Sociorum Mm.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Plácidum cum Sóciis suis per martyrii palmam ad regna sidérea sublevásti : concéde propítius ut quod in eórum festivitaté depóscimus & ipsórum intercessióne cónsequi mereámur : Per.

DIE VI. OCTOBRIS.

S. BRUNONIS CONFESSORIS.

DUPLEX.

Oratio.

SANCTI Brunónis Confessóris tui, quæsumus Dómine, in intercessiónibus adjuvémur : ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus & ejus méritis et prémibus, nostrórum delictórum véniam consequámur : Per.

DIE VII. OCTOBRIS.

B. MATTHÆI CARRERII CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

EXCITA Dómine in córdibus nostris Crucis et Passiónis amorem : ut beáti Matthæi intercessióne et exémplo & dolórum Christi partícipes efficiámur et gloriæ : Qui tecum vivit.